



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 53. De Vulnerato latere Christi lancea, & quinque eius vulneribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO LIII.

DE LATERE CHRISTI
 Lancea perfosso, & quinque
 eius vulneribus.

PUNCTVM I.

IUDAEI ergo rogauerunt Pila- a Ioan. 19 3.
 tum, vt frangerentur eorum qui
 crucifixi erant, crura; & tolle-
 rentur, vt non remaneret in
 cruce corpora Sabbatho, erat e-
 nim magnus dies ille Sabbathi, & valdè so-
 lennis.

I.
 PERPENDENDA hic est imprimis ho-
 rum Principum Sacerdotum nequitia, qui
 pretextu fidei religionis, crudelitatem & in-
 iuriam suam occultarunt: cupiebant enim noui
 Christo Domino tormentum afferre, si adhuc
 viueret, fractis videl. eius cruribus; aut cer-
 tē, si mortuus esset, etiam hanc nouam iniu-
 riam, eius corpori inferre. Desiderabant et-
 iam, corpus eius de cruce deponi, quod vide-
 rent plebem, ex visis miraculis compungi; &
 iustum eum ac Dei filium confiteri. volebant
 itaque corpus ipsum, ab eorum oculis sub-
 trahi, vt eius gloria obscuraretur. Ex quo
 magnum concipiam timorem iudiciorum

Dei.

Dei, circa obstinatos & induratos peccatores: qui cum tot signis & miraculis visis compungi debuissent, sicut plebs illa, simplex; magis tamen induruerunt, sicut Pharaon, addentes peccata peccatis, ut in peruersa mente proficerent. O Deus benignissime, ne queso patiaris me incidere in eam duritiam cordis, ut in meum traham damnum, quod tu statuis in meum commodum.

II. **PERPENDENDVM** deinde est, antiquam legem statuisse, *b non permanere, e adauer enim, qui suspensus esset, in ligno; sed in eadem die sepeliri; quia maledictus à Deo esset, qui penderet in ligno, & ne suo foetore contaminaret terram.* Hanc legem voluit Christus seruare *c factu* (ut ait Apostol.) *pro nobis maledictum;* ut nos à peccati maledicto liberaret; eodem die, quo pro illo mortuus est. Gratijs tibi, dulcissime Saluator, quod te ad eum humiliaveris, ut corpus tuum haberetur pro maledicto, & pro infectione terræ, qui tamen es benedictio omnium gentium, & suavissimus odor, quo illæ sanctificantur. Da nobis Domine hanc humilitatem, ut eius odore Ecclesiam ædificemus; sed libera nos à superbia, cuius foetore contaminatur terra.

III. **ANNVENTE** d Pilato petitioni Iudæorū, *d Ioa. 19. 33.* *venerunt milites; & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo: ad Iesum autem cum venissent, ut viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.*

CIRCA quod est considerandum, hominū cogitationes nunquam prævalere contra cogitationes Dei, qui nõ voluit crura Christi Domini frangi, vt Scriptura impletur, quæ de Agno Paschali, qui Christum Dominū adumbrabat, dixit; *Os non comminuetur ex eo*: vt significaret, passionis tormenta etsi atrocissima, non fractura tamen eius fortitudinem & patientiam; nec eius charitatem, & reliquas virtutes solidas, quas ossa significant, immuturata; sed hæc omnia firma & perfecta fore conseruanda; quantumuis demones, & eius hostes ea confringere conarētur, sicut nunc eadem in electis confringere conantur. sed ipse Deus eos defendit, & exemplo suo animat, quibus postea dixit Sanctus Iacobus: *omne gaudium exultate fratres mei cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae, patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* O Deus æterne, qui, *fiosos clamantes ad te exaudis, & ex omnibus tribu at oribus eorum, liberas eos, & ita custodu omnia ossa eorum, vt nec vnum ex his conteratur.* Conserua in me fortitudinem in aduersis, & internas animæ vires: nisi enim hæc ossa custodiueris, a meis hostibus confringentur.

c Iacob. 1. 3.

f Ps. 33. 18. 21

PUNCTVM VI.

AD Iesum cum venissent milites, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed vnus militum, a cruce eius latus a eruit.

a Ios. 19. 34.

IV. Part. Med. t.

D D

CON

I. CONSIDERANDA in primis est causa huius ictus lanceæ, ex parte militum; quæ reuera alia non fuit, quàm ipsorum crudelitas & feritas, vt de eius morte certiores essent, & ea iniuria mortuum corpus afficerent; cuius crura viuētis frangere nō potuerunt. Quamuis autem corpus ipsum, quod vulnus accepit, dolorem non senserit, quia mortuum erat; sensit tamen grauissimum anima sacratissimæ Virginis, quæ ob amoris magnitudinem, magis erat in corpore filij quam in suo. O Virgo suprema, quàm verè dicere tibi nūc licet, quod aliquando dixit Apostolus, *b ad-impleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Defuit huic vulnere dolor in corpore, quod quia mortuum, non potuit sentire; & tu Virgo sanctissima, defectum illum supple, abundè sentiens dolorem illum, quem tuus filius sensisset; & offerens illum æterno Patri pro mystico filij tui corpore, quod est Ecclesia. Et quandoquidem etiam pro me illum obtulisti, qui membrum sum huius corporis, impetra mihi gratiam vt sentiam idem, quod tu; & patiar aliquid eius, quod tu passa fuisti, pertranseat ictus iste cor meum, magnæque dolore cruciet, quia suis peccatis causa fuit huius vulneris.

b Col. 1. 24.

II. VERVM multò sūt magis dignæ, quæ perpendātur, causæ, propter quas Christus ipse Dominus noster, non contentus, quod fuerit ipsius dorsum verberibus laceratum, caput

spinit

spinis punctum, manus & pedes clavis trá-
fixi, voluerit latus etiam suum ea lácea ape-
riri maiori vulnere, quod ipsum cor pene-
traret: hoc statuens in pœnam peccatorum,
quæ totum humani generis corpus mysticum
admisit in omnibus suis membris, & exter-
nis internisque potentiis; multoq; amplius
in ipso corde, *cex quo* (vt idem Dominus di-
xit) *exeunt ea, quæ coinquinant hominem, &*
damnant: Vt ergo ab hoc veneno, cor nostrum
purgetur, vult suum aperiri; *dex quo vita pro-*
cedit. O mi Saluator, per vulnus illud preti-
osi tui lateris, oro supplex, vt ignoscas in-
numeris peccatis, quæ ex meo corde processe-
runt; ita illud quæso occlude, ne vnquam ex
eo talia procedant, quæ coinquinat animam
meam, ad id solum reclude vt procedant o-
pera, quibus consequar vitam æternam.

c Mat. 15. 18

d Pro. 4. 23

III.

Hoc etiam lateris sui vulnere, voluit be-
nignissimus noster Iesus patefacere nobis in-
finitam charitatem & amorem, quæ erga nos habe-
bat, & quicquid eò vsq; fecisset, & pro nobis
perpeffus fuisset; id totum fuisse ex mero a-
more & eum amore, atq; si illud Cant. diceret, e
vulnerasti cor meum Soror mea, Spōsa, vulnerasti
cor meum. Bis, inquit, vulnerasti; semel vul-
nere amoris, cum solam meam bonitatem & mise-
ricordiam, mea dona tibi contuli, vt me ad te
diligendum inclinaret; deinde vulnerasti il-
lud ferro láceæ quod tua causa fuit vulneratū
vt secundo hoc vulnere, primum agnosceres,
& re ipsa aduerteres, quatum te dilexerim.

c Cant. 4. 9

O amantissime Iesu, & Redemptor mi, frater & spóse castarū animarū, quid tibi rependā pro vulneribus, mei causa acceptis? vulnera tu Domine cor meū, amoris & doloris vulneribus; vt te diligā, eò quòd me plurimū dilexeris; & cōpatiar tibi ob plurima, quæ pro me fuisti perpeffus. Fiat mihi Domine potestas ingrediēdi per Vulnus istud lateris tui, vt in ista ignea fornace quæ ardet in corde tui, ego totus tuo amore inflamper, Amen.

IV.

VOLVIT etiam dulcissimus hic amator, clavis transfigi sibi pedes & manus, latus vero lancea: vt illa foramina & petra vna cauerna, habitatio esset spiritualis omnibus fidelibus, ad quemcunque illi virtutis gradum peruenissent, ita vt peccatores & Tyrones, Proficientes & Perfecti, ingredientiētes, per meditationem, in hæc vulnera, optatum suum finem consequerentur.

ILLA sunt *f. petra* refugij *herinacis* qui sūt peccatores, spinis suorum peccatorum con-
 tacti; & antrum, in quo iram Dei euadāt, qui
 in ipsum fuerūt iniurijs: sunt sicut *g. pet. a.* in
 qua *pebs inualida* Tyronum, per *lepisculus*
 significata, *collocat suum cubile*: in quod se re-
 cipiētes, defendant se à visibilibus & inuisi-
 bilib. hostibus, qui illos persequuntur. Qui
 quamuis ex seipsis timidi sint, & pusillanimes:
 in his tamen vulneribus inclusi, iauicti
 sunt & rupium instar fortes. Sunt etiam in-
 star solitudinis spiritualis, ad quam confugi-
 unt. qui ab strepitu mundi defatigati, dicunt
 cum

f. Psa 103. 18

g. Pro. 30. 26.

S. Aug. in

Marual. c.

22. 23.

Bernar

serm. 61. in

ant.

cum Propheta, h *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescā. & elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Et deniq; instar nidi sunt, in quo pacificè & securè habitant, qui ex corde optāt vniti esse Christo: quos ipse vocat inuitatq; dicēs: *i surge propera amica mea, formosa mea, & veni, habita in foraminib. Petra, & in cauerna maceria.* O dilecte anima mea, qui vulnera tua aperis, in quibus ego habitem, ad quod etiam me inuitas: ego statuo ex gratia tua, tria mihi tabernacula & habitaciones construere, nō quidē in monte Thabor sed in Caluario. *Tabernaculum* vnum erit mihi in sacratissimorum pedum tuorum vulneribus, vt me occupans in meditatione gressuum tuorum, sciam, qua via sit mihi incedendum, vt ad eternam vitā perueniā; & simul dolores ipsos quos in eis sustinuiſti. **A**LTERVM erit tabernaculū in manuū tuarum vulneribus, vbi opera tua & cruciatus cōsiderē, quos mei causa, vt benè mihi faceres, in eis sustinuiſti. Sed **TERTIVM**, illudq; cæteris amplius, erit in vulnere lateris tui, in quo cōtempler continuè insatiabilem illam charitatem, qua me diligens, & nasci voluisti; & ad tolerandum quidquid pro meo remedio necessarium esset, te promptè obtulisti.

IN his tabernaculis, habitare volo die, noctuq; hic dormire, hic corpus reficere, legere negotia tractare, & orare, omnib. quæcunq; fecero, considerationē admiscens vulnerum tuorum, amore & dolore insigniū. Sed quo-

h Psal. 54. 7

i Cant. 2, 10
14.S. Bonavent.
in stimulo
digni amoris
c. 1.

niam mihi non sunt alæ, quibus ad ea volare possim: da tu mihi alas sicut colubæ, cogitationes scilicet & affectiones puras, quibus instar columbæ, mediter ac gemam, ob tuos dolores, & ob mea peccata, gemam quoq; & hoc suspiré, vt tibi perfecti amoris vnitione cõiungar. O Virgo purissima, quæ prima fuisti, quæ columbæ instar, ad vulnerû istorum foramina volares, impetra mihi à benignissimo filio tuo, vt me intra illa admittere dignetur. O diuine kNoe qui in arca sacratissimi tui corporis ostium ex latere posuisti, per quod illa viuientia ingrederetur, quæ imminens diluuium erant eu'sura; fac mihi potestatem, per istam portam ingrediendi, vt peccatorum huius mundi diluuium, non me demergat. O l Pastor supreme, siquidem tu es ostiũ per quod oves tua ingrediuntur, & pascua vitæ æternæ inueniunt: fac me quæso per ostiũ intrare lateris tui, vt pascua inueniã lucis & amoris, quibus animam pascam. O m Dauid fortissime, qui tuis quinque vulneribus, tanquam quinque limpidissimis lapidibus, phisistæum illum gigantem Goliath, hoc est ipsum Demonem, prostrauisti; quamuis vel vnicus ad id suffecisset; eisdem quæso, cordis mei superbiam deiice, & remitte peccata, quæ meis quinque sensibus ego admisi; eosque ita contine, vt in tuo semper obsequio occupentur.

Hi affectus, animiq; decreta, & alia similia, quæ S. Bonauent. insinuat, deducenda sunt ex meditatione horû vulnerû, aspiciendo per ea

k Gen. 6.16

l Ioan. 10.9

m 1. Reg. 17.
40.50.

In stimulo
diuini a-
moris c. I.

infi.

infinitas Dei perfectiones, & immensas Christi Domini virtutes; ineffabilem præcipue eius charitatem: siquidem (vt S. Bernardus ait) *patet arcantum cordis per foramina corporis: quidnt viscera, per vulneta pateant?*

PUNCTVM III.

ET a continuo exiuit sanguis & aqua: & qui *a Ioa. 19. 34.*
vidit testimonium perhibuit, & verum est
testimonium eius.

MYSTERIVM hoc aquæ & sanguinis, qui ex Christi latere fluxit, fuit potissimus finis, cur ipse voluerit lancea illud aperiri. Mysterij autem huius PRIMA causa fuit, vt nobis immensam suæ charitatis largitatem declararet, qui totum omnino, ne gutta vna eius retenta, sanguinem suum nobis sit largitus: modicum enim illud, quod in corde remanserat, quod nec spinæ, nec clauis peruenierant, voluit, lancea pungente, ex eo effluere. O Saluator mi, quid tibi reddam pro ista adeo prodiga liberalitate, si tamen prodiga dici potest, quæ tam matura deliberatione & prouidentia effunditur? Accipe, Domine, cor meum, & quidquid in eo latet: accipe totum sanguinem, & spiritus eius vitales, vt omnes in te diligendo occupentur, sanguisque meus, ferueat desiderio tibi seruiendi.

SECUNDA causa fuit, vt passionis mortisque suæ nobis declararet efficacitatem ad abluenda nostra peccata, & nos purificandos virtute suæ sanguinis, & aqua gratiæ suæ & simul ad extinguendum ar-

Serm. 61. in
Cant.

a Ioa. 19. 34.

I.

II.

b *Zach.* 13. 1e *Num.* 27. 11d *Isai.* 12. 3.

dorem nostrarum cupiditatum, & fatiandam sitim nostrorum desideriorum. O dulcissime Saluator, nunc fateor, te b *fontem esse p. tentem domui Dauid*, ex cuius aperte & patente latere, cōtinuò aqua manat & sanguis, ad *abluendas* cruentas maculas nostrarum culparum: tu es c *Petra viua, silexq.*, igneus ex quo *lācea ic̄ta*, in latere tuo, *egressa sunt aqua largissima* ad eos refrigerādos, qui in huius mūdi deserto, siti pereunt. O *fontes Saluatoru*, aperti in eius pedibus, manibus, & latere: valdē exultans ad vestras accedo fistulas, vt salutis aqua per illas fluens, me lauet, purget, sanet, ac saluet.

III.

e *Psal.* 79. 6.s. *Thom.* 3.

p. 9. 74. 26.

HINC tertia causa prohenit, vt significetur, ex Christi latere tāto amore in cruce extincti, profluxura nouæ legis sacramēta, cum virtute lauādi & sanctificandi animas, & nominatim sacramentum Baptismi & pœnitentiæ, quæ est e *potus lacrymarum*, aqua ipsius lateris adumbratus; & sanctissimum altaris sacramētum, quod per aquam & sanguinem significatur; in cuius memoriā aqua miscetur vino, in ipso calice. Quare cum accedo ad hæc Sacramenta recipienda, hoc præcipue diuinissimum, cōgitare debeo, me accedere ad ipsum Christi latus, vt effluentem ex eo sanguinē & aquā hauriam; & vt siā particeps gratiarum ac donorū: ex his Saluatoris fontibus manantium. O Saluator amantissime, qui doloribus tuis, promeruisti aquas, quas ego cum gaudio, de tuis fontib. hauriam. ne

quæso

quæto ipsos canales mihi occludas, vt mea ingratitude meretur: nam exnunc auxilio tuo adiutus statuo, ad illos accedere, non tædio aut fastidio, sed magna alacritate; non tempore, sed magno fernore; non cunctanter & tardè sed valde frequenter, conando haurire ex eis non aquam, sed aquas, quibus anima mea copia multarum gratiarum & virtutum, ad magnam gloriam tuam repleam. Amen.

Ex omnibus his causis alia deducitur, ob quam Saluator noster, voluit sibi latus aperiri, vt scilicet significaret, sicut ex costa Adami dormientis, formata fuit Eua, ita ex latere suo, dormientis somnum mortis in cruce, prodituram Ecclesiam, sicut alteram Euam, quæ *f mater esset verè viuentium*, quæ *g gloriosa esset non habens maculam neq, rugam, aut aliquid huiusmodi*. aquam enim & sanguinem eiusdem lateris abluta, hanc esset consecutura pulchritudinem. Gratiastibi ò Cœlestis Adame, ob amorem, quem erga tuam Ecclesiam habuisti, te ipsum tot laboribus pro ea exponendo. Sed quid mirum, si tantoperè eam dilexeris, quam ipse ex tuo latere, & ex tui cordis sinu deduxisti! supplex te oro Domine, vt serues eam in pace & sanctitate, & mundam ab omni macula & ruga, vt cum multis filiis gloriosa euadens, & inter Angelos, diuinam tuam essentiam, cum Patre & Spiritu sancto, videat in secula, Amen.

PERPENDAM denique, quòd, vt S. Eu-

IV.

f Gen. 3. 21
g Ephej. 5.
27.

V.

h Zach. 17.

10.

Ioan. 19.37.

angelista notauit, facta sunt hac, vt Scriptura
 impletur qua dicit: h videbunt in quem in-
 fixerunt; vt significaret, oportere peccatores,
 qui nostris peccatis Christum pungimus,
 eum contemplari, & videre fide viua: vt eius
 vulneribus, à nostris liberati sani efficiamur,
 & eius lancea transfixo corde nostro, fluat ex
 eo fons lachrymarum cum magno gemitu,
 tum ob ipsius mortem, tum ob causam
 eius quam nos dedimus. Quod si facere in
 hac vita negligamus, simul nos monet, fu-
 turum tempus, quo illum videbimus, non in
 cruce cum his deformatis vulneribus, sed in
 throno gloriae, sicut Iudicem, cum vulneri-
 bus splendoris, ex quibus radij prodibunt i-
 rae iustae, & ultionis in suos persecutores,
 plangentes sine remedio ob illatas illi iniu-
 rias. O anima mea, attende diligenter, quan-
 tum inter hosce aspectus & inter hosce plā-
 ctus intersit: & cum liceat nunc deuore aspi-
 cere vulnera Christi crucifixi, & ea fructu-
 osè plangere: ne tempus illud exspe-
 ctes, in quo tremens aspicias, &
 plangas in tormen-
 tis.

